

EMBLEMA LXV.
PAUPERUM TUTAMEN.



Rana piscis aquas secat fluentes
Nili; qui, ut fugiat vorantis oris
Varum, seu Cocrodon amne magnos,
Transversam locat in suis labellis
Virgam, qua rigidos cavet potentes.
Semper justitia tegat pusillos,
Varo non pede, non reflexa Virga.

COMMENTARIUS.

Etsi videri possim abundè satis de justitiæ necessitate, & æqualitate in superioribus disseruisse, numquam tamen tot, ac tanta de eximie hujus virtutis commendatione dicentur, quin plura dicenda supersint. Cum secundum D. Cyprianum (a): *Justitia Regis, pax sit populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, monumentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibi ipsi spes futura beatitudinis.* Tantique eam faciat Clemens Alexandrinus (b), ut dicat, *Viri justii animam, imaginem valde divinam, & Deo similem esse, in qua per præceptorum obedientiam edificatur, & collocatur Dux mortalium, & immortalium omnium: Rexque & genitor omnium, bonorum re vera lex, & præscriptum, & Verbum Æternum, qui & privatim singulis, & communiter omnibus est unus servator.*

2 Quapropter ex Indis, qui Pedalii vocabantur, ut ex Stobæo Rhodiginus (c) scribit, nil ferè in sacrificiis aliud à Diis immortalibus exposcebant, quam justitiam: arbitrati omnium planè comites se futuros, si eam modò unam fuissent consequuti. Et secundum Philostratum (d), Apollonius ille Tyaneus, quem ipse, & alii tantum extollunt, his demum precibus ad Deorum aras accedens, uti solebat: *Ut justitia apud homines valeat, & leges non solvantur, utque sapientes pauperes sint, ceteri verò sine fraude ditentur.*

3 Meritoque Aristoteles (e) dicere potuit: *Justitia Regnantis utilior est subiectis, quam fertilitas temporum.* Et Isaias (f): *Opus quidem justitiæ pax, & cultus justitiæ, silentium, & securitas.* D. Ambrosius (g): *Nulla virtutum videtur latiores habere fructus, quam æquitas, atque justitia, quæ magis aliis, quam sibi prodest, & utilitates suas negligit, communia emolumenta proponens.* Et Cassiodorus (h), arbori eam comparans, quæ reddit in superficie, quod continetur in radice, ita concludere: *Sic Regnum jure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit immutatum. Hoc fieri potest, cum undique submovetur*

(a) D. Cyprian. in lib. 12. de abusion.

(b) Clem. Alex. lib. 7. Strom.

(c) Rhodig. lib. 18. cap. 31.

(d) Philostr. in vita Apoll. lib. 4. cap. 13. pag. mibi 200.

(e) Aristot. in Rhet. ad Alex.

(f) Isai. cap. 32.

(g) D. Ambros. de Parad. cap. 3.

(h) Cassiod. lib. 9. epist. 2.

effrenata licentia, nec datur ausus menti malignæ, sub abominabili libertate peccare.

4 Quod sanè, cum in omnibus ejusdem virtutis effectibus, & operationibus verissimum sit, tunc tamen dubio procul magis resplendet, ubi in orphanorum, viduarum, egenorum, aliarumque miserabilium personarum, à Potentiorum oppressionibus, & injuriis defendendis vindicandisque versatur. Quò enim hæc facilius, ac frequentius, propter humilem, & abjectam sui status conditionem, ab hominibus conculcantur, expilantur, & opprimuntur, eò graviore apud Deum ipsarum injuriæ censetur, ut Jobus (i) insinuavit, cum dixit: *Oppresserunt pariter mansuetos terræ, & vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore, quos imbres montium rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides. Vim fecerunt depradantes pupillos, & vulgum pauperum spoliaverunt. Nudis & incendentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas, &c.* Et Amos (k), apud quem Dominus Israelis improbitatem execratur: *Pro eo quòd vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calcamento, qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant.*

5 Atque adeò, ipse idem Dominus, non contentus easdem miserabiles Personas sub peculiari sua protectione recipere, juxta illud Davidicum (l): *Tibi derelictus est pauper, & orphano tuus adjutor. Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Illas Regibus, ac Principibus ceterisque, qui ejusdem vice hominibus præsent, & justitiæ administrandæ funguntur, summo perè commendavit (m), cum dixit, *Beatus qui intelligit super Egenum & Pauperem, in die malo liberabit eum Dominus.* Et iterum (n): *Qui despicit proximum suum peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.* Et expressius in Exodo (o), inquit: *Vidue & pupillo non nocebitis, si leseritis eos, vociferabuntur, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, &c.* Et apud Isaiam (p), dum præcipit, *Querite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* Et statim, de Principibus, qui secus se in hoc habent, sermonem instituens, & de gravibus, quæ eos manent suppliciiis, ita (q) inquit: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & causa vidue non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus, &c.*

6 Unde ipsorum Principum præcipuum studium ex munere suo in hanc curam, & protectionem incumbere debere, pluribus Sacræ Scripturæ locis doctissimè, & diligentissimè ostendit Pat. Joann. Antonius Velazquez (r), quem pro multis allegasse sufficiat. Et ante eum apertè idem docuit D. Hieronymus (s), inquit: *Regum officium proprium est, facere judicium, atque justitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos: & peregrinis, pupillisque, & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.* Quem locum Gratianus (t) in sua Canonum rapsodia insertum reliquit, alium similem addens ex D. Anselmo, qui pariter docuit: *Administratores planè secularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constitutos se esse, proculdubio intelligere debere, & hoc facere negligentes, post secundam & tertiam admonitionem omni comminatione usque ad condignam satisfactionem privari posse.*

7 Quos prævit Plato (u), scribens, Deos, ab iis maxime coli: *Qui orbitatis pupillarum sensum, & curam habent.* Aristoteles (x) docens, *Reges custodiæ defensionisque causa constitutos, ut & locupletes prohibeant injuria, & inopem multitudinem contra locupletum injurias tueantur.* Et Seneca Tragicus (y) addens, non solum obligationem, verum & magnificentiam ipsorum Regum in hoc consistere, inquit,

Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.

8 Cassiodorus (z) etiam elegantissimè, sub Theodorici Regis persona Præfectum Prætorio instruens, sic habet: *Inter gloriosas Reipub. curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, revolvimus, cordi nostro est levamen humilium: ut contra potentiam superbiorum, nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat aliquid apud nos audaciæ, cujus est propositi superba calcare.* Et iterum (a): *Persona tua refugium sit oppresso, infirmo defensio, præsidium aliqua calamitate concluso. Sic enim propriè nostros cancellos agitis, si laeorum impia claustra solvatis.*

9 Et ad hanc nimirum imbecilliam à potentioribus defensionem, & protectionem, veteres alludebant, juxta Majoli (b), & aliorum (c) observationem, dum in eorum inauguratione, non solum

Cec 2 scu-

(i) Job cap. 24.

(k) Amos cap. 2.

(l) Psalm. 9. 14. & Psalm. 10. 5.

(m) Psalm. 40. 2.

(n) Proverb. 14. 21.

(o) Exod. 22. 22. 23.

(p) Isai. 1. 17.

(q) Idem ibid. 23.

(r) P. Velazq. de opt. Princip. lib. 4. adnot. 7. ex pag. 444.

(s) Hieron. sup. Jerem. cap. 22.

(t) Gratian. in cap. Regum officium, & in cap. administratores, 23. quest. 5.

(u) Plato 11. de legib.

(x) Aristot. 5. pol. cap. 10.

(y) Senec. Trag. in Medea, Act. 2.

(z) Cassiod. lib. 3. epist. 20.

(a) Idem lib. 12. epist. 1. in fin.

(b) Majol. tom. 5. Canic. col. 5.

(c) Hopping. dir. de jur. protecl. §. 12. ad lit. B. & Margerus statim citand. Paul. Diac. lib. 23. loquens de Imper. Constantin.

scutum eis tribuebant, verum & super ipsum scutum impositos, in altum semel & iterum elevabant (qui mos hodie etiam in Cantabria observatur) ut sic intelligerent, se subditis, praesertim infirmis, tanquam scutum praeponi, cuius nomen *Megem* in lingua Hebraea, ut Martinus Magerus addit (d), pro ipsa protectione usurpari solet.

10 Adrianus quoque Sextus Pont. Max. ubi ad Petri Sedem conscendit, illud Psalmographi, (e), *Tibi derelictus est pauper*, pro symbolo sumpsit, ut *Lorinus* (f) recenset, nescio an, ut novi muneris praecipuam hanc esse obligationem ostenderet? vel divinum auxilium, quod in se expertus fuerat, ex textoris pauperrimi filio, in excelsam ad eam dignitatem evectus.

11 Ego verò, ut eandem, Principibus, vel ex animalium ratione carentium, disciplina suadeam, hoc, quod cernis Emblema formavi, Ranam, Nili fluvii notum piscem, depingens, qui, ut *Aelianus* (g) semel & iterum prodidit, ubi se à Varis, & Hydris, seu Cocodrillis, longè majoribus, & potentioribus ejusdem amnis piscibus, in escam impeti videt, peculiari quadam violentia veluti praedinis, subito demordet frustrum arundinis, & id obliquum ore gerens, fortiterque tenens, pro viribus non remittit, quò fit, ut Varus, Ranam cum ipsa virga arundinis, deglutire non valeat, non enim tantam amplitudinem os ejus habet, quantum illa protenditur, atque ita tali commento auxilioque suffultus, ab illorum robore liber evadit.

12 Quod planè nihil aliud ostendit, quàm per solum sobriumque justitiae tutamen, & Regium Sceptrum, quod per virgam representatur, ut jam alibi (h), post alios latius scripsi, teneus, & humiles à potentiorum, & robustiorum injuriis, calumniis, & invasionibus defendi, & liberari debere.

13 Etenim hoc nisi adsit, quemadmodum in piscibus, & aliis terrestribus & volatilibus animalibus accidit, ut inermes & debiles in praedam & escam potentiorum cedant, ut *Oppianus* in suis halieuticis, sive piscatoriis, & *Homerus* (i) in sua Iliade cecinit, ex quo nata sunt *Adagia*, *Piscium vita*, & *Pisces magni parvulos comedunt*; circa quorum explicationem plura alia *Erasmus*, (k) & *Adrianus Junius* (l) adducunt, & *Claudius Minoes*, & *Brocensis* in illud Emblema Alciati, (m) quod ex hac consideratione formavit, sic elegantissime inquit:

*Pisciculos aurata rapit medio aequore Sardus, Ast tibi sunt mergis, fulicisque voracibus esca
Ni fugiant paridae, summa marisque petant, Heu intuta manens undique debilitas.*
Ita & inter homines, semota justitia, idem saepe, (aut semper potius) continget, ut *M. Varro* bene ostendit, dum dixit (n); *Natura humanis omnia sunt paria.*

*Qui pote, plus urget, pisces ut sapè minores
Parvus comest, ut aves enecat, accipiter.*
Et *Marcialis* (o) sic inquit:

*Dente timetur aper, defendunt cornua cervum,
Imbelles damae quid nisi praeda sinus?
14 Unde scitè Marcellus Palingenius (p) hanc esse naturalem Mundi Tyrannidem, his verbi scripsit:
Heu mundus totus quaedam ex nativa Tyrannis;
Debilibus robusta nocent, & grandia parvis.*

Et valdè ad rem nostram *D. Ambrosius* (q): *Avaritiae potentiorum, subjecti ubique inferiores sunt. Quo quisque infirmior, eo praedae patet, minor apud illos esca majoris est.* Et *D. Basilus* (r) ad piscium, de qua agimus, naturam alludens, & egregiè adens, quod supplicium potentiores, qui humiliores deglutunt, expectet, sic inquit: *Sunt nonnulli pisces, qui se invicem comedunt, atque inter eos minor cedit in escam majori; quod si aliquando accidat, ut is, qui minore superior sit, ab alio se majore comprehendatur, uterque ille ab ultimo victore absorbetur. Quid quæso non aliter, ò miseri mortales facimus, cum nobis minus potentes subjugamur. Quid quæso ab extremo pisce differis, qui improba divitiarum cupiditate pauperem opprimit; sed ditior alius hunc comprehendens, utrumque pariter devorat. Vide, amabo, ne te idem finis, qui pisces maneat, qui aut bano, aut nassa, aut rete ad extremum capiuntur.*

15 *Juvenalis* quoque venustè hanc imbecillium sortem describens, & qualiter haberi à potentioribus soleant, post alia sic ait (s):

*Libertas pauperis hæc est,
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.*

Et

(d) Mager. de advoc. armat. cap. 3. n. 79.

(e) Psalm. 10. 14.

(f) Lorin. in Psalm. 9. 14. pag. 188. col. 2.

(g) Aelian. de var. histor. lib. 1. cap. 3. & iterum de hist. anim. lib. 3. cap. 68.

(h) Supr. Embl. 29. & in 2. tom. de Ind. jur. lib. 4. cap. 5. num. 3.

(i) Oppian. & Homer. quorum loca adducit Muretus lib. 2. var. cap. 6.

(k) Erasmus. pag. 67.

(l) Junius cent. 2. Adag. 9.

(m) Alciati. Embl. 169. cui simile aliud D. Sebast. Covarr. cent. 1. Embl. 88. cum lemma ex Bapt. Mantuan. derumpto Majora minoribus obsunt.

(n) M. Varro in Menip. apud Non. Marc. quem locum emendat Muret. ubi sup.

(o) Marcial. lib. Embl.

(p) Marc. Paling.

(q) D. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 5.

(r) D. Basil. homil. 7. in Hexam.

(s) Juven. satyr. 3. circa finem.

Et non minùs rectè *Salvianus* (t), ad eandem respiciens, & quàm sint expositi alienæ rapacitati: *Quotus quisque (inquit) justa divitem pauper, aut intatus, aut tutus est?*

Idemque ipsum, præter quotidianum experimentum, *Syracidis* comprobatur sententia (u), dicentis: *Venatio Leonis, onager in eremo: sic pascua divitum sunt pauperes.* Et *Jacobi* (x): *Divites per potentiam opprimunt vos.* Sapiens quoque, divitum & avarorum hæc verba esse inquit (y): *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterano.* Et de eisdem *Job* (z) dixit: *Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terra.*

16 Et hoc leonum aliarumque ferarum in modum, usque ad pellis & ossium comminutionem, facere solitos, totum pauperum sanguinem exuentes, satis etiam ostendit & dolet *Micheas* (a), sic lugens: *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoarierunt, & ossa eorum confregerunt, & comederunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.* *David* (b), gladios & cultros addens, quibus hæc excoarior fieri solet: *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum, ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde.* Et non minùs signanter *Salomon*, (c) inquit: *Generatio cujus excelsi sunt oculi, & palpebra ejus in alta surrectæ: generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Quibus in locis *Salazarius* noster, & alii eorum Expositores, plura ad ipsorum illustrationem, & hanc potentiorum, & divitum consuetudinem in devorandis infirmis humilibus, & pauperibus, denotandam adducunt.

17 Sed omitti non potest illud *D. Ambrosii* (d), qui postquam *Achabah* sævitiam, sive avaritiam, in depraedatione pauperis *Nabuthi* vineæ exaggeravit: *Quis enim divitum (addit) non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem arvis ruris eliminare finibus? Non igitur unus Achab natus est, sed, quod pejus est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic seculo moritur; si unus occidat, assurgunt plurimi, plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non unus Nabuth pauper occisus es, quotidie Nabuth sternitur, quotidie pauper occiditur.*

18 Ex quibus effluxit, quòd cum juxta regulas juris (e), ubi majus damnum timetur, ibi cautius agendum sit, resque eisdem causis, quibus nascuntur, dissolvi soleant, meritò justi quilibet ac benè morati Reges ac Principes, tutamen, & auxilium pauperum, aliarumque miserabilium personarum, in se recipere, & potentum injuriis, Potentiores ipsi resistere, obviareque voluerint, & suæ cognitioni, atque examini reservare, ut constat ex famigerata illa Imperatoris *Constantini* constitutione (f), qua sanxit, *Quid si pupilli, vel viduæ, alique fortuna injuria miserabiles, judicium Imperialis Serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt, cogantur adversarii Imperiali examini sui copiam facere.*

19 Quod privilegium, *Curie* casum vocare vulgò solemus, eoque *Gallos*, & alias Nationes uti, pluribus relatis, doctissimus *Noster Didacus Covarruvias* (g), & alii Moderniores (h) passim observant, & *Hispanis* legibus expressè cautum reperitur, cum in una (i) legamus, immediatè Regium Tribunal interpellari, impetrarique posse. *Por pleito que demandase buerfano, ò ome pobre, ò mui cuidado, contra algun poderoso, de que non pudiese tan bien alcanzar derecho por el fuero de la tierra.* Et in alia (k), hoc præcipuè Regii muneris esse, in hæc verba: *Vindas, ò buerfanos si ovieren alzadas, ò otros pleitos porque ayan de venir à la Corte del Rei, èl los debe judgar. Esto es porque maguer el Rei es tenuto de guardar todos los de su tierra, señaladamente lo debe facer à estos, porque son asi como desamparados, è mas sin consejo que los otros.*

20 Quibus legibus, ultra alia, quæ Doctores, qui ea commentantur, adducunt, mirè convenit *Theodorici Regis* apud *Cassiodorum* (l) Rescriptum, dum ait: *Cordi nobis est cunctos in commune protegere, sed eos maxime, quos sibi novimus defuisse. Sic enim æquitatis libra servabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metrum nostri pro parvulis, insolentibus opponamus.* Ubi notanda sunt illa verba, *Æquitatis libra servabitur*, quæ indicant, è Principis munere, & Majestate esse, sua Potentia à potentioribus oppressorum, causas attrahere. In quo, ut idem *Auctor* alibi (m) inquit: *Gratificatio non potest esse suspecta, Regnantis quippè sententia judicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus, domini potestate munitus.*

21 Et iterum (n), ad rem nostram ad hunc congruentius, *Innocentiae* professio est, nostram elegisse præsentiam: ubi nec violentiæ locus datur, nec avaritiæ vitia formidantur: ubi & innocentia profugium, & calumniatores jus possunt invenire districtum.

Et

(t) Salvian. lib. 4. de prov.

(u) Eccles. 13. 23.

(x) D. Jacob. 2. 6.

(y) Sapiens. 2. 10.

(z) Job 24. 4.

(a) Micheas 3. 3.

(b) David Psalm. 36. 14.

(c) Proverb. 30. 14.

(d) D. Ambros. tom. 1. cap. 1. de Nabus.

(e) Cap. ubi periculum de elect. lib. 6.

(f) Const. Imper. in l. unic. C. quando Imp. inter pup. & viduæ, &c.

(g) Covarr. lib. pract. cap. 6.

(h) Catrasc. de casib. curiæ, cap. 1. Alvar. de privileg. miserabil. pers. ex cap. 1. & alii passim.

(i) L. 5. tit. 3. part. 3.

(k) L. 20. tit. 23. ead. part. 3.

(l) Cassiod. lib. 1. epist. 8.

(m) Idem lib. 1. epist. 3.

(n) Idem lib. 4. epist. 9.

22 Et in hoc ipsum tendit Philo Judæus (o), quatenus Moysis historiam referens, qui ut in Exodo (p) habetur, causas quasdam Israelitici populi, cujus gubernationi à Deo præfectus fuerat, aliis delegabat, Majores verò sibi judicandas reservare solebat, Majora (inquit) dico negotia, non ut quidam existimant, controversias, quæ inter claros, divites, potentesque incidunt; sed quoties privati, egeni, obscuri, premuntur à Potentioribus, cum nulla præsidii spes est, nisi in iudice.

23 Similis quoque est Philoni D. Bernardus (q), dum Eugenium Pontificem monens, in tot emergentium in tanto munere causarum, quas aliis committere, & quas suæ cognitioni reservare deberet, sic, post alia, concludit, Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & ejus, qui non habet, quod det; aliis alias multas poteris committere terminandas. Uterque sanè rectissimè, quia ut nostrum ostendit Emblema, & Cassiodorus (r) eleganter scripsit: Fortuna minor Principem querit, quia in vituperationem nostram corrunt, quibus se publica vota subducunt. Et quidquid injustum à Potentioribus pauperes patiuntur, super Principes cadit, & ipsorum culpæ, ac negligentiæ adscribitur, & in illos querellæ illæ converti possunt, quibus Habacuc cœlum pulsavit, dum dixit (s): Quare respicio super iniqua agentes, & taces, devorante impio justiore se? & facies hominis quasi piscis maris, & quasi reptile non habens Principem.

24 Quod haud dubiè ad piscium, de quibus agimus, & diximus, naturam respicit, inter quos infirmiores majorum prædæ patent, & in escam deserviunt, & ita in Regibus necessarium est, ut Regius Vates (t), vel de ipso Deo loquens, ob hanc causam ab omnibus terræ gentibus adorandum canat, Quia liberavit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adjutor. Parce pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet. Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram ipso.

25 Ad quem locum respiciens Divus Bernardus (u), ex hoc quemdam Eboracensem Archiepiscopum laudat: Quia maximè claruit in eo zelus justitiæ emittit, & invaluit Sacerdotis vigor, in defensionibus videlicet pauperum, & pauperum, quibus non erat adjutor. Et alia similia tradentes Magerus (x), & Scombornerus (y), alique Politici (z), addunt, & pluribus probant, Deum, florentissimam opibus, & victoriis efficere eorum Principum Rempublicam, qui tenujum, & miserabilium curam habent, & patrocinium suscipiunt. Quod Ego (a) etiam, de Indis fovendis, & favendis agens, quibus nulli miserabiliores esse possunt, latissimè prosequor, post Petrum Gregorium, (b) Martham (c), Bobadillam (d), & alios (e) concludens, ex supra dictis rationibus, spoliationem, & oppressionem miserabilium personarum, mixti fori esse,

26 Et nunc addo Divum Augustinum (f), tum Principes, tum illos, qui judicandi officio funguntur, adhortantem: Vos autem Judices, qui præestis, justissimè judicate, nihil in iudicio iniquè agatis, nec munera super innocentes accipiatis. Non ad personas attendatis, nec res alienas rapaci fronte accipiatis, ac diripiatis, quia de vestris, quidvè super noctem agatur, nescitis. Pauperem vel advenam nullatenus in iudicio opprimatis, timentes illud, quod veritas dicit, quia in quo judicaveritis, judicamini; & quem mensuram mensi fueritis, metietur vobis, cavete ne de vobis Propheeta dicat, Veb, qui potentes estis in hoc mundo, qui justificatis impium pro munere, & justitiam justis auferitis ab eo, Veb qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Labia vestra loquuntur mendacia; manus vestræ plenæ sunt iniquitate, facta est vobis veritas in oblivionem, & justitia fugit à vobis.


27 Extat quoque condemnatoria sententia in Judices, qui à legum præscripto, aut equali justitiæ lance in iudicio recedunt, à Leone & Alexandro Imperatoribus lata, quam Jacobus Menochius in principio sui tractatus de Arbitrariis iudicium questionibus, & causis, præfixit, & digna mihi visa est, ut hunc etiam nostrum honoret, & simul Judices oneret, qui tot animadversiones despiciunt. Illa autem sic habet: Existimo equidem eorum naminem, qui iudicario fungitur munere, èd unquam stuporis, aut inscitia prorupturum, ut aliter, quàm ex præscripto legum iudicium sententiamvè ferre audeat. Quod si quis in tantam evaserit dementia, reus peractus, eas dependet penas, quæ legibus sunt irrogatæ. Sin fortè nos effugerit, pervigilem tamen atque insomnem oculum, cui nihil non quantumlibet occultum sit, patere poterit. Tametsi id ipsum imprecationibus quoque dirisque execrationibus stabilire, ac firmare, non ab re alienum censuimus. Inveniat itaque iste & Deum, & celestes omnes, atque incorporeas potestates sibi nunquam non adversantes. Immaturè ab hac vita excidat potius, quàm excedat. Incommodis insuper afficiatur perpetuis. Ipsius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posteritas èd redigetur inopiæ, ut panem ostiatum queritet. Atque hæc jurè sanè optimo, propterèd quòd leges, quas liberrimas esse oportuit, servas quodammodo atque captivas effecit, filiorum, pravorumque iudiciorum.

EM.

(o) Phil. in lib. de creat. princip.
(p) Exod. 13. 25.
(q) D. Bernard. lib. 1. de consid. ad Eugen. cap. 10.
(r) Cassiod. lib. 1. epist. 8.
(s) Habac. cap. 1. 13.
(t) Psalm. 71. 18. 12.
(u) D. Bernard. epist. 95. cap. gloria Episcopi 71. 12. q. 2.
(x) Mager. de advoc. arm. cap. 3. n. 98. & seqq.

(y) Scomborn. lib. 6. politic. cap. 10.
(z) Saavedr. Empr. 57. pag. 420.
(a) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 27. ex n. 17.
(b) Petr. Greg. in cap. conquereute, de offic. ord.
(c) Marth. de jurisd. 2. part. cap. 21.
(d) Bobadill. lib. 2. cap. 17. num. 10. & seqq.
(e) Vela in cap. 1. off. ord. lib. 6. num. 9.
(f) D. August. de rect. Cathol. Confer.

EMBLEMA LXVI.
LEGUM MUNIA, URBIUM MØNIA.



Cingit in abruptos oculata cuspide muros
Vallorum artifice texta corona manu.
Lex oculus; lex vallum fit, sine legibus ergo
Victima, Captivus Fabula, Cæcus eris.
Urbibus & Regnis leges custodia firma,
Dum Reges rectè munia perficiunt.

COMMENTARIUS.

On satis est justitiam, rectamque, & æqualem ejus administrationem, & distributionem Principibus suasisse, nisi pariter sciant, sui quoque muneris esse, justas, sanctas, temporique, locis, & rationi conformes leges suis populis ferre, & semel latas jugiter observare. In his enim ipsius justitiæ libra, norma, regulæ consistit, factæque sunt (ut D. Isidorus (a) ait) ut earum metu humana coerceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas: Vel juxta (b) Martianum Juris-Consult. ad compositionem communem civitatis, secundum qua omnes decet vivere, qui in civitate sunt. Postquam, ut Sallustius (c), & Tacitus (d) iniquunt, à veterum Mortalium, & priscorum Romanorum sanctis moribus desciverunt, apud quos jus bonumque non legibus magis, quàm natura valebat. Et nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, edque sine pœna, aut coercionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta optè ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum verabatur. Quod & Ovidius (e), Seculum Aureum describens, his carminibus eleganter expressit,

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo

Spon

(a) D. Isidor. 7. etym. cap. 20.
(b) L. 2. D. de legib.
(c) Sallust. in Caril. cap. 9.

(d) Tacit. 3. annal. cap. 26. vide Bern. quest. 113.
(e) Ovid. 1. Metam.